

Verg. Aen. II 550-558

hoc dicens altaria ad ipsa trementem  
traxit et in multo lapsantem sanguine nati,  
implicuitque comam laeva, dextraque coruscum  
extulit ac lateri capulo tenus abdiditensem.  
haec finis Priami fatorum, hic exitus illum  
sorte tulit Troiam incensam et prolapsa videntem  
Pergama, tot quondam populis terrisque superbum  
regnatorem Asiae. iacet ingens litore truncus,  
avulsumque umeris caput et sine nomine corpus.

**Seru. ad Aen. II 506** FORSITAN ET PRIAMI FUERINT QUAE FATA REQUIRAS [...] de morte autem Priami varie lectum est. alii dicunt, quod a Pyrrho in domo quidem sua captus est, sed ad tumulum Achillis tractus occisusque est iuxta Sigeum promunturium [...] alii vero quod iuxta Hercei Iovis aram extinctus sit, dicunt: unde Lucanus <IX 979> Herceas, monstrator ait, non respicis aras? et hanc opinionem plene Vergilius sequitur: licet etiam illam praelibet, ut suo indicabimus loco. **ad v. 557** IACET INGENS LITORE TRUNCUS Pompei tangit historiam, *cum 'ingens' dicit, non 'magnus'*. quod autem dicit 'litore' illud, ut supra <506> diximus, respicit, quod in Pacuvii tragoeedia continetur.

Vell. Pat. II 53,3

Hic post tres consulatus et totidem triumphos domitumque terrarum orbem sanctissimi atque praestantissimi viri in id evecti, super quod ascendi non potest, duodesagesimum annum agentis pridie natalem ipsius vitae fuit exitus, in tantum in illo viro a se discordante fortuna, ut cui modo ad victoriam terra defuerat, decesset ad sepulturam.

Lucan. VIII 692-711

ultima Lageae stirpis perituraque proles,  
degener incestae sceptris cessure sorori,  
cum tibi sacrato Macedon servetur in antro  
et regum cineres extracto monte quiescant, 695  
cum Ptolemaeorum manes seriemque pudendam  
pyramides claudant indignaque Mausolea,  
litora Pompeium feriunt, truncusque vadosis  
huc illuc iactatur aquis. adeone molesta  
totum cura fuit socero servare cadauer?  
hac Fortuna fide Magni tam prospera fata  
pertulit, hac illum summo de culmine rerum  
morte petit cladesque omnis exegit in uno  
saeva die quibus inmunes tot praestitit annos,  
Pompeiusque fuit qui numquam mixta videret 705  
laeta malis, felix nullo turbante deorum  
et nullo parcente miser; semel inpulit illum  
dilata Fortuna manu. pulsatur harenis,  
carpitur in scopulis hausto per volnera fluctu,  
ludibrium pelagi, nullaque manente figura  
una nota est Magno capitis iactura revolsi. 710

**Verg. Aen. II 241s., 496-505**

o patria, o divum domus Ilium et incluta bello  
moenia Dardanidum!

non sic, aggeribus ruptis cum spumeus amnis  
exiit oppositasque evicit gurgite moles,  
fertur in arva furens cumulo camposque per omnis  
cum stabulis armenta trahit. vidi ipse furentem  
caede Neoptolemum geminosque in limine Atridas, 500  
vidi Hecubam centumque nurus Priamumque per aras  
sanguine foedantem quos ipse sacraverat ignis.  
quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum,  
barbarico postes auro spoliisque superbi  
procubuere; tenent Danai qua deficit ignis. 505

**Enn. Andromacha XXVII,87-94 Jocelyn (apud Cic. Tusc. III 44-45)**

o pater, o patria, o Priami domus,  
saeptum altisono cardine templum.  
vidi ego te adstante ope barbarica,  
tectis caelatis laqueatis, 90  
auro ebore instructam regifice.

45. o poetam egregium. quamquam ab his cantoribus Euphorionis contemnitur. sentit omnia  
repentina et necopinata esse graviora. exaggeratis igitur regiis opibus, quae videbantur sempiternae  
fore, quid adiungit?

haec omnia vidi inflammari, 92  
Priamo vi vitam evitari,  
Iovis aram sanguine turpari.

**Eur. Tr. 481-483**

καὶ τὸν φυτουργὸν Πρίαμον οὐκ ἄλλων πάρα  
κλύουσ' ἔκλαυσα, τοῖσδε δ' εἶδον ὅμμασιν  
αὐτὴ κατασφαγέντ' ἐφ' ἕρκείω πυρᾶ

**Hom. Il. VI 244**

πεντήκοντ' ἔνεσαν θάλαμοι ξεστοῖο λίθοιο